IO.
HENRICI AVBERII
BORBONII,
E' SOCIETATE IESV

PSALMI CXXVII.
PARAPHRASIS.

AD ILLVSTRISSIMVM VIRVM
D. LE *M*ASVYER, *ſupremum Senatus*
*Toloſani P*RAESIDEM.

TOLOSAE,
Ex Officina Typographica Viduæ I. Colomerij.
M. DC. XIX.

by Google

Digitized by Google

V. C. D. D.

ÆGIDIO LE MASVYER,

VICE-COMITI D'AMBRIERES.
Summo Senatus Toloſani
Præſidi

IO. HENR. AVBERIVS S.

EVLOGISTICVM hoc carmen è Dauidis Pſalterio Tibi, PRAESES AMPLISSIME, ex voto, votis ſolemnibus, offero. Exemplum Rex Vates, Tu SENVTVS ANTISTES AVGVSTISSIME, argumentum mihi dediſti. Hic animus fuit his ineuntis anni auſpicijs BENE FELICITERQVE TIBI PRECARI. Potentiores Munera, quæ volent, dabunt. Tenuiores, quod habent, vota

repræſentant. Quantùm Muneribus Vota præſtent, nemo neſcit. Nam quod remunerando non æquamus, vouẽdo plerũmque ſuperamus. Nimirùm pauciora habemus, quàm optamus. Et plura velle quàm poſſe, pauperum eſt. Sed vt Vota Muneribus cedant. Pudorem non habet victi, cuius Votum cõtingit à Principe ſuperari velle. Vale Cal. Ian. Anni ſal. cIↄ. Iↄc. xix.

Digitized by Google

PSALMI CXXVII.

Beati omnes qui timent Dominum qui, &c.

PARAPHRASIS.

FORTVNATI omnes, quorum alto pectore ſummi
Numinis inſedit mixtus amore timor.
Fortunati omnes, ſua qui veſtigia ſãctis
Illius nōrunt figere certa vijs.
Queis amor Aſtrææ & ſacri reuerentia Iuris,
Queis cordi pura eſt cum Pietate Fides.
Quos non ardor opum, non ambitioſus honorum
Fulgor, non Cypridos deuius error agit.
Quos non humanæ rapit inconſtantia ſortis,
Non ſolidà cœli fulmina mente mouent.
Quiſquis is es, ſequeriſque Deum qui paſsibus æquis,
Quanta tibi æthereò commoda fonte fluent?

Digitized by Google

Quàm largo vndabunt tibi rubra fluenta Lyæo?
Quámque tibi ampla Ceres horrea fruge premet?
Tunc animum curâ liber grauiore frueris,
Quæ tibi ſunt iuſto parta labore, bonis.
Lecta parabuntur lautis tibi fercula menſis;
Et poſitas vincent Bacchica dona dapes.
At tibi odoratis redimito tempora ſertis
Frangere purpureos cura erit vna toros.
Læto indulgebis genio, atque epulabere, felix,
Amplius & felix, cui benè ſemper erit.
Non aliter ſua cùm latè vaga brachia vitis
Diffundit patulis luxurioſa comis;
Et totam complexa domum ſuper explicat vmbras,
Circúmque innumerô palmite laxa tumet.
Tot conſors thalami ſacra puluinaria ſeruans
Natorum grauidô germina ventre dabit.
Dúmq; ſedens auratã vxor premet inclyta ſpondam
Et lateri hærebit conſociata tuo;
Quadrifidô veluti plantata ex ordine pulcræ
Flore & fronde oleæ læta per arua virent;
Diſcumbent pulcri circùm variò agmine Nati,
Qui Matris, pariter qui Patris ora ferant.
Sic DOMINVM *quicumque timet, diuturna beatæ,*
Quæ viuet vitæ tempora, lætus aget.
At tibi, rarum adeò diuini exemplar amoris,
MASVERI, *exemplar grande timoris idem.*
Sancta ideò facilis tibi fundat ab arce Sionis,
Omnipotens cœlis quas Deus arctat, opes.

Digitized by Google

Sic Regnum, tantà quod ſollicitudine curas?
Sic Regem, cuius te pius vrit amor;
Sic cum Occitanâ immenſam regione Toloſam;
Sic florere tua commoda cerne domus.
Ac, dum Parca tuos longùm produxerit annos,
Te rerum vberior copia ſorte beet.
Túque tuíque vnà conſors CLARISSIMA *lecti*
Natorum illuſtrì pignora ſtirpe date.
Dent Nati Natos, longâque ætate nepotes
Dinumera, & generis multiplicentur aui.
Æternùm in celſos ſuccreſcant Patris honores,
Continuáſque ornet SVMMA STATERA *manus.*
Viuite & æternos ſtet non violabilis annos
Æqua vtriuſque fides coniugis, æquus amor.
Sera nec ætatem populentur tempora veſtram;
Corporis atque animi par ſit vtrique vigor:
Sit iuuenile annis ſenium, extremámque ſenecta
Nulla hyemem adſpergat nix, glaciéſque premat.
Tu validò impoſitum intereà gere robore pondus,
Dum magè virtuti grande paratur onus.
Pectore vt & Pylio maior, ſic tempore, regna
Æternâ adſpicias Gallica pace frui.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Goog

Digitized by Google

Digitized by Goog

Digitized by Google